

Justus Christoph Schomer   Joachim Christoph Boden

## **Disputatio Theologica De Differentia Unionis Personalis & Mysticae**

Rostochi[i]: Wepplingius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn736013563>

Druck   Freier  Zugang






RU theol. Sept. 1684

Schomerus, Jost. Christ. *la*















DISPUTATIO THEOLOGICA

De

DIFFERENTIA  
UNIONIS PER-  
SONALIS & MY-  
STICÆ

106

QUAM

AUXILIANTE SPIRITUS S. GRATIA  
CONSENSU VENERANDÆ FACULTATIS THEOLOGICÆ,  
IN ILLUSTRIS AD VARNUM ACADEMIA

PRESIDE

JUSTO CHRISTOPHORO  
SCHOMERO


S. S. THEOL. D. ET PROF. P. CONSISTORII DUCALIS ASSESSORE  
ET DIOECESIOS MECKLENBURG. SUPERINTENDENTE  
DN. FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO

ÆTERNUM VENERANDO,

AD DIEM SEPTEMBR. ANNO MDC LXXXIV.

IN AUDITORIO MAJORI

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI SISTIT



JOACHIMUS CHRISTOPH. BODENUS, Wismariensis

Rostochi, PRAEO WEPPLINGIANO, UNIV. TYPOGR.

1684.



VIRO *Plurimum Reberendo atq̃e Clarissimo*  
DN. M. ADRIANO CHRIS-  
STOPH. BODENIO,

Templi Mariani ap. Wismar. Ecclesiastæ vigilantissimo, meritissimo,  
DOMINO PARENTI omni honoris & amoris observantia q̃, filialis  
cultu devenerando

Salutem & amorem ab eo, qui est salus & delicia Nostre, Christo Jesu.

**H**ec antea est, venerande Senex, de Alexandro M. historia, quod tan-  
ti feceris Præceptorem Aristotelem, ex cujus disciplina prodierat,  
ut sapissimè habuerit in ore, se plus Aristoteli quam Patri Philippo  
debere, cum à Patre modò haberet Id est vivere) ab Aristotele verò Id est vivere  
(bene vivere) Illud ipsum verò tam vivere quam bene vivere optimo jure  
Tibi tribuo, Reverende patens, qui semper id Tibi soli cura esse duxisti, ut  
cum vitâ & vita ornamenta, quantum fieri potuit, mihi imprimerentur.  
Brevibus ut multa scribam, ea mihi semper à primis annis eribuiisti, ut  
ab optimo parente plura proficisci non potuerint. Ad gratiam autem huic  
beneficio habendam & si maxime pertinere arbitror illud vitæ genus, quod  
sequi iussus sis, ita amplecti, ut in omnibus ejus subsidiis vitæ comparandis  
præcipuam ostendas eamque maturam diligentiam: ingenue tamen pro-  
fiteor, ingenii & corporis vires adeò mihi tenues fuisse & adhuc esse, ut o-  
mni loco atque tempore id ipsum probè observare non potuerim. In-  
zerim quantum eà in me tamen à me fieri potuit, id puto me sedulo curasse,  
ut talentum à Deo mihi creditum optimè collocarem, Deumq; propitium,  
homines faventes, & Parentem benevolum mihi servarem. Ad hunc itaq;  
favorem, & ad hanc benevolentiam, quam præsentem semper intueor, ab-  
sentem quoque merito exosculor, porro conciliandam & firmiter retinen-  
dam, offero nunc post Deum etiam tibi primas has talenti mei quales-  
cunq; usuras, qua etsi divites non videbuntur, vel unciaria tamen æqui  
ut consulantur, atque voluntas licet exigua suâ laude ne defran-  
detur, obnixè rogo. Nam & in magnis aliquid voluisse sat est. Bene vale.  
Quod exopto.

Filius Tuus Unicus

AUCTOR.





PROOEMIUM.



Ogitanti mihi sæpe numero & memoriâ repetenti illa omnia beneficia, quibus Deus humanum genus ornavit, piâ in primis admiratione dignum videtur, quòd immortalis illa & infinita Majestatis divinæ super naturam & conditionem nostram eminentia tam arctum tamen ejus amplexum amaverit, ut &

filius Dei homo fieret, & nos quotquot sumus fideles Deo quàm familiarissimè adhæreremus. Non amoris tantum vinculum in eâ re deprædicamus, quod *morale* in Scholis vocatur, quo nos sibi asseruit cœlestis pater, filios creavit, justitiâ & sanctitate donavit, atque æternæ felicitatis hæredes scripsit, quo factum est, ut hujus brevitatem atque miseriam vitæ futurorum memoriâ, sensuque præsentis bonitatis divinæ consolemur. Majores utique illi nexûs sunt, quos seu physicos seu hyperphysicos scholæ vocare possent, quibus natura naturæ jungitur, & ipsa Deitas humanum corpus animumque inhabitans disparis partes firmissimâ sibi unione devinxit. Est hæc humani generis gloria omnium maxima, Deum in se ipso gerere, cum ipso u-

Λ

na



nā vivere, eumqve venerari, qui & ipse id factus est quod  
nos esse voluit, qui perinde ut pueri carnem sanguinem-  
que nostrum participat *Hebr. 2. vers. 14.* & nos divinæ  
participes naturæ reddidit *2. Pet. 3. v. 4.* Duplex est quam sic  
admiramur divinæ *concordiæ* unio, altera personalis, quæ  
secundum Theologorum phrasin facta est ad naturam, al-  
tera, quam mysticam vocamus, quæ facta est ad personas  
nostras; utraqvè nobis quam quæ maximè gloriosa, utra-  
què intellectus nostri mensuram communisque naturæ vi-  
res egressa, altera tamen alterâ longè præstantior, quarum  
et si modum penitus capere non possumus, discrimen ta-  
men observare debemus, prout ex divinâ revelatione inno-  
tescit. Agnosci atqve collaudari rectè utrumq; illud bene-  
ficiū neqvit, nisi quâ ratione sacræ literæ nobis id expo-  
nant, inquiramus; inquiri cum fructu neqvit, nisi quid  
inter utrumqve intersit, exinde animadvertamus, illis-  
que, quibus Spiritus S. præsit, terminis utrumqve distingua-  
mus. Eaque differentia tantò diligentius investiganda  
nobis est, quantò majorem diversæ utrinque hæreses, va-  
riiqve hominum errores in eâ re confusionem pepererunt.  
Eqvidem optarem, ut ita nobis differere de mysteriis be-  
neficiisqve divinis liceret, ut verâ fide exultabundi non  
nisi laudaremus deus Deum, atqve solatio & fructu ejus  
perfruentes, ad immortales ipsi perpetuo obsequio agen-  
das gratias nos unice incitarem, potius quam in ar-  
duis & difficilibus quæstionibus occupati alienos insectare-  
mur errores: verum ea sunt nobis tempora, ut beatum  
illud otium in nullo fidei capite inveniatur, neque sine  
armis & pugnis ullius beneficii solatiiqve divini segura-  
sit possessio. Itaque si utiliore Reipublicæ operam na-  
yant, qui præcipuum arcis propugnaculum defendunt, nos  
etiam



etiam operæ pretium facturi esse videmur, si magniorum Theologorum ductum secuti, ut succedanii militiæ tyrones, in hac utriusque unionis personalis & mysticæ differentiâ assertâ, ea quæ maximè ardua Dei beneficia, reputamus, sarta tecta, quodque inde capitur solatium, omnino illibatum Ecclesiæ servare pro viribus nostris ex ercizio aliquo Academico conaremur. Tuum autem, summe controversiarum Nostrarum iudex, supplex imploramus auxilium, ut divinæ lucis radios nobis immitas, & qui sine te caligamus tantisque rebus intelligendis impares sumus, tuo solius motu atque virtute videamus!

*Sectio I. declarans Hypothesin.*

§. I.

**U**Nio personalis à personâ dicitur: neutra vox eo sensu, quo apud Theologos usurpatur, satis latina nobis videtur. *Unio* enim in sensu ferè morali tantum occurrit apud veteres scriptores, atque de animo dicitur, cujus constantem & perpetuum consensum exprimere solet; nobis autem de reali ac hyperphysicâ combinatione dicitur. *Personam* Scaliger allusione quâdam quasi *ἡ σῶμα*, A. Gellius invitâ licet prosodiâ à *sono* dictam esse volunt, quòd Latinis larvam scenicam, & exinde progrediente significatione qualitatem & conditionem hominis res vel ludicras vel serias agentis denotet, *vid. Val- la lib. 9. Elegant. cap. 35. & Scaliger lib. 3. de Causis lingue Latine pag. 108.* Metonymicè verò & ad ipsos illos qui personam gerunt quandoque transferri concedimus. Sunt autem qui exemplis ex Cicero aliisque Scriptoribus petitis docere volunt, apud veteres eundem planè, qui nunc est, vocis huius usum obtinuisse, quorum an conatus successus respondeat, & loca adducta ad eam rem sufficiant, mul-

A 3



multum dubitamus. In jure civili distinguuntur res & personæ, sed non illa tantum sequioris ævi est latinitas, sed & ipsa illa distinctio qualitatem potius respicit, quam quisque gerit diversam, quam ipsam substantiam intelligentis. Ex sacris quandoque & Græcum *ἑσώτων*, 2. Cor. 1. v. 11. in eam rem sollicitatur, sed minus commodè, quia ibidem verba *ἐν πλῶν ἑσώτων* notant terminum à quo, vel causam gratiarum agendarum, non ipsum subjectum, quod in vocibus *ἑσώτων* continetur, ut vel Græca constructio eruditum lectorem satis docere potest. Apud Ecclesiasticos autem Scriptores vox personæ ad S. Trinitatis mysterium trahi cœpit, ante certamen Arianum quidem sparso & rariore usu, ut apud *Tertullianum* cap. 11. 12. *ultimo adversus Praxeam*, certiore autem auctoritate quarto seculo invaluit. Quorum exempla exinde constanter retinemus, cum tres personas Deitatis, & unam personam JESU Christi in duabus Naturis profiteamur, à quâ personæ unitate jam unio personalis dicitur, quæ in Christo facta est ad personam constituendam. Denotat autem personæ vox Theologis substantiam singularem, completam, integram, eamque intelligentem, incommunicabilem, quæ non sit pars alterius, seu ut alii loquuntur, non sustentata ab alio. Atque ita unio personalis est duarum Naturarum divinæ & humanæ in Christo factus concursus atque combinatio, cum verbum caro fieret *Joh. 1. v. 14.* atque natura humana sine propriâ substantiâ in divinam transiret. Græcè dicitur *ἕνωσις* ab *ἕνωσις* voce ab initio Latinis suspectâ, quasi essentiam potius quam personam denotaret, *vid. Hieronymus Epist. 56. ad Damas.* postea verò recepta & probata.

S. II. Το μυστήριον à verbo *μυσία* deducunt vulgo *Lexicographicè*



xicographi, quod nempe fit id quod ad sacras initiationes pertinet; sed derivationi illi Grammatica analogia aperte reclamatur, quæ pro inserto sibilo  $\sigma$  hic vocalem requireret. Unde salvo rectius sentientium judicio malumus id à  $\mu\upsilon\sigma$  claudere deducere, quod sit id, quod ad res arcanas & abditas pertinet; cui derivationi respondet Germanicum **Geheimnis** / quo Græcorum  $\mu\upsilon\sigma\tau\epsilon\rho\varsigma$  exprimimus. Cujus vocis quia cum Adjectivo  $\mu\upsilon\sigma\tau\epsilon\rho\varsigma$  procul dubio eadem origo est, iudatne an serio rem agat Drusus, cum juxta Pasorem ab Hebræo  $\text{קְהִלָּה}$  eam deducit, aliorum esto iudicium. Litera certè canina in Hebræâ voce radicalis est, in Græcâ servilis. Etsi autem plures religio Christiana considerat uniones, quæ abditam quandam nec vulgo intellectam rationem habent, ut mysterii mysticamque denominationem jure optimo sortiantur, quales quinque solent à Nostratis numerari, Prima quæ est inter personas S. Trinitatis, diciturque Essentialis, Secunda quæ est inter duas naturas Christi, diciturque personalis, Tertia quæ est inter rem Sacramenti celestem & terrestrem, diciturque Sacramentalis. Quarta quæ est inter Deum & fideles, Quinta quæ est fidelium inter se, dicunturque alias spirituales, *vid. B. DN. D. Varenius Breviar. Theol. pag. 441. Art. 8. de unione Spirit. justific. cum DEO.* Penultima tamen est, quam specificâ vocis significatione mysticam vocamus, non quidem quod præ ceteris abditos recessus habeat, sed quod aliud commodius nomen quo exprimitur non adsit. Atque ita *Mystica unio* est Dei atque Christi in credentibus habitatio atque arctissima cum illis conjunctio.

§. III. Ipsa autem unio in his mysteriis à communicatione differt, ceu monent Theologi, ut antecedens



deni à consequente. Ab unitione autem ut consequens  
ab Antecedente, & status ab actu. Nam unio permanens  
est, unio momentanea, illa relationis mutuae, hæc  
diversæ, ab alterâ parte activæ ab alterâ passivæ. Interim  
ita coherent hæc, ut indivulsim se consequantur, unde,  
in omni unione considerari solent (1) Extrema (2) Uni-  
bilitas, (3) unio (4) Unitum, (5) Modus Uniendi,  
(6) Unionis Effectus; ex quibus requisitis varias unio de-  
nominationes accipit.

§. IV. Unionis jam quas definivimus utriusque  
magnam esse analogiam & multiplicem convenientiam,  
agnoscimus. Earum prima, ratione Extremorum consi-  
deratur, quod & hic & istic concurrant divina & humana  
naturæ, vid. de Personali *Rom. 9. v. 5. 1. Tim. 3. v. 16.* de  
Mystica *2. Corinth. 6. v. 16. 1. Job. 4. v. 16. Ec.* Secunda in U-  
nibilitate illorum reperitur, quæ utrobique eadem plane est,  
ab alterâ parte, omnipotentia divinæ, ab alterâ non nisi  
potentiæ obedientialis, prout in scholis subjectionem rei  
creatæ suo Creatori relictæ, neque ejus absolutæ po-  
tentiæ operationi quæ repugnare valentis, solemus nomi-  
nare. Tertia ratione Unitionis, cum utraqve peculiariter  
adscribatur operationi Spiritus S. vid. de personali *Matth. 1.  
v. 18. & 20. Luc. 1. v. 35.* de mysticâ *1. Corinth. 12. v. 3. Rom. 8.  
v. 14. 1. Cor. 3. v. 16.* ita tamen ut & Patri & Filio debeatur  
vid. de personali *Gal. 4. v. 4. Hebr. 10. v. 5. & 7. Job. 16. v.  
28.* de mysticâ *Job. 14. v. 23. 1. Cor. 6. v. 19.* Quarta respectu  
termini, quod utrinque, proveniat aliquod unum, ex perso-  
nali unus Mediator *1. Tim. 2. v. 5. unus Dominus Eph. 4. v. 5.  
1. Cor. 8. v. 6.* ex mysticâ unum corpus, unus Spiritus *Eph. 4. v. 4.  
1. Cor. 6. v. 17.* Quinta in modo uniendi ponitur, quate-  
nus neutra verbalis tantum aut notionalis sive *χρημα*, ne-  
que



que consensus tantum est, aut sociarum operarum, aut externa tantum adjacentia, qualiter vel Cyprii cum Rege titulari aut vero etiam Domino civile corpus componunt, vel Cretes in bellum commune propulsandum armantur, vel equi currui vel asseres asseribus aptantur, sed utraq; realis, utraq; ipsius Deitatis inhabitationem dicens, naturæque pariter & universalis præsentia divina ordinem excedens, ita de *personali* ex *Job. 1. v. 14. 2. Cor. 5. v. 19. de mysticâ* ex *1. Cor. 6. v. 19. 2. Cor. 6. v. 16.* constat, pariterque excludit utraq; naturarum σύχουσι, μετὰ βολήν, μέθεξι, quibus verbis veteres specificationem, alterationem & subordinationem naturarum, omnisque generis confusionem in personâ Christi ex decreto concilii Chalcedonensis cavere voluerunt. Sic & eadem similia, quibus mysterium unionis personalis, adumbrarunt veteres, ut unionis quæ intercedit naturaliter inter animam & corpus humanum, ejuſq; quæ in Sacramento Eucharistico datur inter rem cœlestem & externa symbola, *vid. Cyrillus Epist. Synod. & Justinus Apolog. 2da*; ad unionem quoque mysticam illustrandam adhibent Theologi, *vid. Luth. 10. 1. Jen. Germ. fol. 205. Dorsch. Dissertat. 2. Auctor: ad Pentad. pag. 589. & 592. & novissimè D. Spencerus Homil. 3. de verâ & falsâ justitiâ p. 322. 332. & 339.*

§. V. Denique analogia illa inter utramque unionem etiam in iis, quæ unionem consequuntur, satis elegans est. Quemadmodum enim ex unione personali triplicis generis communicatio idiomatum fuit, uti eruditissimè docuit *Chemnitius Noster lib. de duabus Natur. in Christo*, & ex eo omnes Nostri Theologi, ita & eandem in mysticâ unione satis feliciter observant *Dorsch. l. c. §. 19. Gerhard. Exeg. de pers. Christi in fin. cap. 11. 12. & 13. ut & in Harm. Evang. p. 1323. seq. aliique.* Primùm in personâ  
 B Christi



Christi vocamus *ἁπλοῦς* vel *ἰσοϋσίας*, quā quæ alterius natura propria sunt, de alterā in concreto prædicantur, ut Dominus glorie est crucifixus 1. Cor. 2. v. 8. Auctor vite imperfectus Act. 3. v. 15. verbum vita manibus contrectatum. 2. Job. 1. v. 1. Homo nondum quinquaginta annorum fuit ante Abrahamum Joh. 8. v. 58. Eadem suo modo observatur in mysticā unione, propter quam Christus conditionem fidelium sibi attribuit Act. 9. v. 4. Saul, Saul, quid me insequeris? Math. 25. v. 39. 42. 43. Esurivi & satiastis me &c. Quæ appropriatio v. 40. & 45. ita conceptis verbis stabilitur, quod fecistis (vel non fecistis) uni ex minimis fratribus hisce; mihi fecistis (vel non fecistis) & Paulus sua fata Christo adscribit 2. Cor. 4. v. 10. semper mortificationem Domini Jesu in corpore circumferentes, ut & vita Jesu in corpore nostro manifestetur. Et Colos. 1. v. 24. Adimpleo defectus tribulationum Christi in carne meā pro corpore ejus, quod est Ecclesia. Deinde in personā Christi vocatur *μετὰ* vel *μετὰ*, quæ est majestatis communio, per quam humana natura vi unionis personalis ornatur omnibus illis prærogativis, quibus excellit divinitas, non per *μετέθεσις* s. transfusionem subjectivam, sed per inconfusam *συνδυασίς*, adeoque omnia attributa Deitatis Christo etiam secundum humanam naturam vel mediatā vel immediatā prædicatione adscribuntur, ut caro Christi est vivifica Joh. 6. v. 53. seqq. Filius hominis excitat mortuos cap. 5. v. 28. remittit peccata Math. 9. v. 6. accepit omnem potestatem cap. 28. v. 18. omnem scientiam Job. 21. v. 17. &c. Sic etiam *μετέθεσις* quædam in mysticā unione locum habet, ut 1. Cor. 3. v. 17. Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Colos. 2. v. 10. Completi estis in eo quæ est caput, Joh. 1. v. 16. Ab ejus plenitudine accepimus gratiam. Apoc. 1. v. 6. Reges & Sacerdotes nos fecit, Tandem



dem in personâ Christi ~~reivortia~~ vocamus communicati-  
 onem operationum, quæ à naturis profluunt, ut ad apo-  
 telesma commune producendum utraqve natura agat  
 quod suum est cum communicatione alterius, ut *Filius Deû*  
*missus in similitudine carnis peccati damnat peccatum in carne*  
 Rom. 8. v. 3. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei mundat nos ab*  
*omni peccato* 1. Joh. 1. v. 7. &c. Ita & in unione mysticâ ob-  
 servantur apotelesmata ex communi quâdam operatione  
 redundantia, cum Christus vel Spiritus S. pariter in fide-  
 libus & per eos singulari ratione motûs atqve effectûs illos  
 producit, quos sine ejus gratiâ producere non possent;  
 unde eadem operatio idemqve effectus utriqve feruntur  
 accepta, ut 1. Cor. 15. v. 10. *plus illis omnibus laboravi, non*  
*ego verò, sed gratia Dei quæ mecum est.* Gal. 2. v. 20. *Vivo verò*  
*non amplius ego, vivit verò in me Christus.* Math. 10. v. 20. *Nos*  
*enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris mei loquens in*  
*vobis.* Nam illa remotio proprii laboris, vitæ atqve lo-  
 quelæ, quam in his locis observamus, non eò pertinet  
 quasi à fidelibus omnino non proficiscantur, sed quod ab  
 ipsis solis & ab ipsorum naturalibus viribus absqve virtute  
 inhabitantis in iis gratiæ, Spiritûsque & Christi per illos o-  
 perosi non procedant. Idemqve dicitur his formulis remo-  
 tivis, ac si non suâ sed Christi virtute se laborasse atq; vivere  
 Apostolus, non suâ sed Spiritûs. S. virtute discipulos loquî  
 Christus dixisset. Planè ut Act. 5. v. 4. Petrus ad Ananiam  
 loquitur, *non hominibus sed Deo mentitus es;* qui utiqve ta-  
 men hominibus nempe Apostolis mentitus erat, sed non  
 solis: & ut Christus Joh. 14. v. 24. *verbum quod auditis non*  
*est meum, inquit, sed Patris qui misit me;* cum illa tamen  
 procul dubio etiam Christi verba essent. Ad hanc ~~reivortiam~~  
 mysticam referimus omnia dicta, quæ de fidelium spiritu-

Bz

ali vir



ali virtute & bonis operibus loquuntur, ut *Eph. 6. v. 10.*  
*1. Job. 4. v. 4. cap. 5. v. 4. Job. 15. v. 5. Rom. 15. v. 18. &c.* Atq;  
ita accedat etiam ad has analogias communis utriusque u-  
nionis finis, quatenus nempe utraq; salus hominum inten-  
ditur, utraque fidem & charitatem in nobis excitandam  
sibi propositam habet, uti ex dictis scripturæ allegatis fa-  
tis innotescit.

## *Sectio II. explicans Thesim.*

### *§. I.*

**P**ostquam de hypothese constat, tam quid unio perso-  
nalis sit quam quid mystica, quibusque modis inter  
se conveniant, jam in omni illa quæ latius ostensa est ana-  
logiâ atque convenientiâ, quam ingens tamen inter utram-  
que relinqvatur discrimen, ut secundum omnes con-  
siderandi modos exponamus, instituti ratio poscit. Et illa  
quidem differentia tanta est, ut secundum accuratum  
Magni *Gerhardi* Nostri iudicium §. 210. *Exeg. de pers. Cbri-  
sti*, omnem omnino excludat proportionem, quæ nec abs-  
que crimine Nestorianismi statui possit.

§. II. Prima ergo ut conformitatis ita & differentie  
ratio invenitur in extremis. Nam ad constituendam uni-  
onem personalem primò à nobiliore parte concurrat perso-  
na tantum & *ὁ υἱος* Joh. 1. v. 14. ad mysticam verò cum Fi-  
lio & ipse Pater & Spiritus S. Joh. 14. v. 23. 1. Cor. 6. v. 19.  
Etenim si personam in hoc mysterio naturæ opponas, agno-  
scimus non illam tantum, sed & hanc incarnatam esse, u-  
nionemq; factam esse mutuo naturarum complexu in uni-  
tate personæ; si verò persona personis opponatur, unam  
non plures carnem induisse dicendum est. Natura licet  
& essentia divina communis sit, ut in scholis loquimur,  
non tamen quod de naturâ fatemur simul ad omnes perso-  
nas



nias Deitatis pertinet, eò quòd non abstractè & simpliciter, sed quatenus personali caractere filii insignita est, de eà in hoc mysterio loquamur. Atque ita incarnatio naturæ non impedit, quòd minus sit unius personæ, & solus filius personaliter assumerit humanam naturam, secus atque in mysticâ unionem accidit, ubi & reliquæ personæ ad eam accedunt. Concurrit *secundò* à nobiliore parte ad personalem unionem constituendam ὁ λόγος quatenus αὐτὸς ἰ. e. ratione divinæ tantum naturæ; ad mysticam vero N. Testamenti quatenus ἐν σαρκὶ ἰ. e. ratione naturæ utriusque. Partes enim ad unionem concurrentes nondum sunt ipsum unitum, neque qui carnem induit, quatenus induit demum, jam indutam gerit: ideoque etiam in celebri illo dicto *Job. 1. v. 14.* qui dicitur *caro facta esse*, hætenus intelligitur absque carne fuisse, ut subjectum ὁ λόγος denotet personam tantum naturæ divinæ. Qualis autem fuit filius ante incarnationem sui in V. Testamento, talis etiam eo tempore ad unionem mysticam cum fidelibus accessit. Sic Angelum in Zachariâ locutum *Zach. 4. v. 1.* cum Theologi de Filio Dei exponunt, utique de ἀσκήσει non ἐν σαρκὶ exponunt. Unde sequitur, hoc in capite tempore V. Testamenti unionem mysticam ab eâ, quæ personalis futura erat, differre non potuisse. Verum in N. Testamento, postquam jam carne humana indutus est Redemptor, utique cum ipsâ carne nobis præsens atque spiritualiter unitus est, quemadmodum *Job. 6. v. 56.* ex comestione & bibitione carnis & sanguinis Christi inhabitatio ejusdem mystica deducitur. Est enim inhabitatio illa actus Christi regalis ad regnum gratiæ pertinens, & apotelesma, in quo utraqve natura agit quod suum est cum communicatione alterius, ut eleganter docet *Dorſchens l. c. p. 588.*



nēquē præsentiā, quā unumquēmqvē fidelium inhabitat,  
alterius generis est, quā quā Ecclesiæ caput, sponsus, atq;  
palmitum vitis est, quod utiqvę secundum humanam e-  
tiam naturam est, *Ephes. 5. v. 29. seqq. cap. 1. v. 22. seqq. A-*  
*poc. 19. v. 7. & 9. Matth. 9. v. 15. Joh. 15. v. 1. seqq. conf.*  
*Feurbornius Epist. Dedicat. fasc. 1. Disputat. Theol. & T. 5.*  
*Marpurg. Disput. XXV. pag. 406. seqq.* Hoc itaqvę discrimine nunc temporis etiam mystica unio à personali discernitur. Concurrit *tertiò* à parte sequiore in personali unione natura humana una singularis, in mysticā verò omnino plures. Equidem si vinculum, quò quisqvę fidelium cum Deo copulatur, respicimus, tot sunt uniones mysticę, quot sunt individua quę Deo uniuntur, & sic quoqve unio quęvis non nisi ad unum individuum est *Gal. 2. v. 20. Joh. 14. v. 23.* Quia tamen mystica unio multiplex est, personalis verò unica, quę exemplum extra senul- lum agnoscit, *arg. Joh. 10. v. 8. Act. 4. v. 12.* vel hęc ratione tanquā una à multiplici, hęc ab illā distinguitur. Si verò vinculum unionis mysticę ut cum totā Ecclesiā colligatum respicimus, ut *2. Cor. 6. v. 16. Eph. 4. v. 15. seqq.* multitudinis & unitatis differentia non in unione ipsā sed in alterò ejus extremò conspicitur. Concurrit *quartò* à parte sequiore in personali unione natura *αὐτοῦ σώματος*, quę nempe in *ὑποστάσει & λόγῳ* assumpta est, inq; eādē se- cum communicatā subsistit; in mysticā verò unione naturę *αὐτοῦ πνεύματος*, quę per se subsistentes totidem completę & in unione istā & citra eam personę sunt. Nam hypostasis est quę in omni substantiā ultimum complementum dicitur, pro cuius multiplicatione etiam multiplicantur supposita & personę, quā, sive negativo sive positivo conceptu de- finiri credas (quā de re certent Scholastici tum inter se tum  
cum



cum Cartesianis) necessario ab humana Christi natura, quatenus seorsim spectatur, remove oportet, nisi duos ex uno Christos fingere libeat, & si in ipsa unione tamen omni hypostasi non careat, sed ea, quæ & *ἕως* est, fruatur. Alia ratio est in mysticâ, ubi etiam ante unionem homines & personæ completæ sumus, nec per unionem personam immutamus.

§. III. Ratione Unibilitatis, seu habitudinis ad unionem, quæ in extremis est, differentiam non aliam invenimus quàm naturalem, quæ in Ente incompleto Philosophia supponit, ad completionem sui appetitum. A parte quidem nobiliore nec ad personalem nec ad mysticam unionem persona ulla divina alio quàm meræ bonitatis nostrique juvandi amore vel ducta est vel duci potuit; à parte tamen sequire, ubi vel in signo rationis humanæ natura supponitur ab hypostasi & *ἕως* complenda, necessario etiam indigentia complementi alicujus, & sic quædam dispositio vel appetitus naturalis ponitur ad illud recipiendum, etsi illa dispositio potius ad propriam quàm communicativam hypostasin respiciat, neque ullam aptitudinem naturalem ad mysterium unionis personalis involvat, uti superiore capite monuimus. In homine autem etsi renato & justificato naturalis tamen ad aliam quàm moralem unionem appetitus statui nequit, ut qui naturaliter completus est, nec ad existentiam naturalem ullius rei indigus; sed si quishic occurrit, illum omnem supernaturalem esse oportet Spiritus S. virtute excitatum.

§. IV. Ratione unionis notamus differentiam primò circa concursum productionis alterius extremi, quòd ante unionem personalem re verâ humana Christi natura præexistentiam nullam habuerit, sed simul atque esse cœpit etiam in personam & *ἕως* assumpta sit; in unione verò my-



ro mysticâ ante factam unionem utrumque extremum  
jam tûm existat, homoque sapius bene adultus unionis e-  
jus gratiam demum adipiscatur. Nullum enim datur tem-  
poris momentum, quo humana Christi natura extra unio-  
nem personalem extiterit, quam, sive successivè membris  
suis efformata sit, sive quod vult *Basilius homilia XXV. de hu-  
manâ Christi generatione T. 1. operum p. 589. Edit. Paris. 1618.*  
it. *Leo Magnus, Damascenus & alii*, in instanti perfectam  
figuram nacta, eo ipso tamen momento quo à materno  
sangvine secreta fuit qualiscunqve massa, filii Dei factam  
esse credimus. Alioquin quomodo *ὁ ἐκ πατρὸς γεννηθεὶς* *Matth.*  
*1. v. 20. & οὐδὲ γεννηθεὶς* *Luc. 1. v. 31.* idem sit qui natus est, &  
Christus à Spiritu S. conceptus esse in symbolo dici possit,  
non videmus. Extra unionem autem mysticam ut homi-  
nes plerique (dolor!) perpetuò manent, quos increduli-  
tas & peccata à Deo separant *Esai. 59. v. 2.* ita eorum, qui il-  
lam adipiscuntur, perquam multi satis diu vivunt *Eph. 2.*  
*v. 12. cap. 5. v. 8.* ut de existendi initio ab initio uniendi a-  
bundè distincto dubitare non liceat. Ita unio personalis  
cum productione humanæ naturæ indivulso nexu conjun-  
cta est, unio mystica non item. Notamus *secundò* differ-  
rentiam ratione Mediorum, quæ ad conciliandam unio-  
nem personalem nulla, ad mysticam verò eadem requi-  
runtur quæ ad justificationem. Nam & merito Christi  
hic opus est, quo cum aliis beneficiis etiam divina illa *ἐξου-  
σιαι* nobis comparantur, *Job. 16. v. 7. Galat. 4. v. 5. seqq.*  
& verbo atqve sacramentis, quibus pro eâ quæ Deo placuit  
methodo procuratum beneficium insinuetur atq; appli-  
cetur, *1. Job. 1. v. 3. Eph. 1. v. 13. Gal. 3. v. 2. & 27. 1. Cor. 10.*  
*v. 16. seqq.* quibus accedunt ut causæ instrumentales, Evan-  
gelii præcones atqve ecclesiæ presbyteri, qui gratiæ illa  
media



media nobis dispensant, spiritualiter nos Deo regēnē-  
 rant, 1. Cor. 4. v. 15. atqve ita formam Christi in nos  
 introducunt Gal. 4. v. 19. perinde ut ad omnes actūs re-  
 gni gratiæ ordinariē adhibentur. A nostrā parte etiam  
 requiritur fides ut medium *ληπίων*, quemadmodum  
 reliquorum ita & hujus beneficii, Job. 17. vers. 20. seq.  
 Eph. 3. v. 17. Gal. 3. v. 20. Charitas verò non ut medium, sed  
 signum & conditio subjecti beneficio isto maclandi Job.  
 14. v. 21. & 23. 1. Job. 4. v. 12. & 16. vid. plurib. Dorfeb. l. c.  
 §. 5. seqq. Gerbard, cap. 176. harm. contin. p. 1322. & Bal-  
 duinus in 2. Cor. II. part. 1. aphor. 3: At in unione per-  
 sonali horum nihil locum habet, ubi neqve est qui  
 promereatur illam, neqve *ὄχρει* aliquo vel medio  
 quo insinuetur, humana natura indiget, cum ipso sui  
 ortu, uti dictum, immediatè statim à Filio Dei assum-  
 ta. Notamus tertio differentiam quæ utrinque est ra-  
 tione Iterabilitatis. Nam personalis unio semel facta  
 est ut in æternum subsistat, *ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρήτως*,  
 ut veteres dixerunt, neqve iteratione ullā quā renove-  
 tur indiget, mystica verò & amissibilis est, & instaura-  
 ri denuò potest ac solet. Idem enim est in æternum  
 Christus qui semel fuit Hebr. 13. v. 8. atqve ut æternum  
 sacerdotium gerit, ita & æternam in carne vitam vi-  
 vit, in quā sacerdotium administravit, cap. 7. v. 24.  
 seq. conf. & Rom. 6. v. 9. seq. Hinc natum *καλυπτόμενον*  
 Theologorum axioma: *Quod Christus semel as-  
 sumsit in æternum non deposuit.* Unio verò mystica et-  
 si non minùs æternas vires habet ex parte Dei, quæ à  
 fœdere gratiæ non recedit Hos. 2, v. 19, Rom. II. v. 29.  
 Job. 14. v. 16. 20, cap. 6. v. 56. 1. Job. 2. v. 24. & 27. cap. 4. v. 13.  
 15. 16. à parte tamen hominis sæpius infirmatur Spiritus in  
 S. contristantis Eph. 4. v. 30, gratiamqve excutient is

C

Gal.



*Gal. 5. v. 4. conf. Hebr. 3. v. 6. 1. Cor. 3. v. 17. Unde & iterationi locus est, quam bonitas divina promittit Jer. 3. v. 12. Gal. 4. v. 19.*

§. 5. Ratione Termini differentia utriusque unionis maxima est, qui utrobique quidem aliquid unum est, sed illic unum personale, hic verò unum tantum accidentale. Non enim quemadmodum in personali unione Deus homo & homo Deus dicitur, per dicta scripturæ *Matth. 22. v. 42, 43, 45. Marc. 15. v. 39. Luc. 1. v. 35. 1. Cor. 15. v. 47.* paribus propositionibus scriptura præit, ut Deus & homo fidelis de se mutuo prædicentur. Templum Dei dicimur *1. Cor. 3. v. 16.* templum Spiritus S. *1. Cor. 6. v. 19.* participes divinæ naturæ *2. Petr. 1. v. 4.* membra Christi *1. Cor. 6. v. 15. Eph. 5. v. 30.* de carne & sanguine ejus, *ib.* ecclesia corpus Christi, *Colos. 1. v. 24.* sed non ipse Deus, Christus, vel Spiritus S. Neque dubitare poterit qui verborum vim rectè perpendit, minus omnino illis omnibus phrasibus scripturæ dici, quibus aliquid tantum Christi vocamur, etsi membrum, caro, sanguis, corpus ejus, quam quibus ipse Christus vocaremur & cum eo in unam, conflaremur personam. Apostolus quidem *Gal. 3. v. 28.* *omnes vos estis unus*, inquit, *in Christo*; at non, *estis unus Christus*: & licet masculino genere ex omnibus quasi unam personam compingat, tamen ex omnibus nobis ut in Christo sumus, non ex Christo & nobis eam compingit. Quale discrimen in verbis Salvatoris *Job. 17. v. 21.* observat *Augustinus tract. 110. in Johannem*, quod non dixerit, *ut omnes unum simus*, sed *ut omnes unum sint in nobis*. Ubi verò cum Christo in casu recto jungimur, non *unus* simpliciter, quasi una persona sed *unus Spiritus* dicimur, *1. Cor. 6. v. 17.* idque

NON



non in rigoroso sensu, quod palam est, sed eo qui rē  
spondeat versui precedenti, ubi ex mare & fœminā  
*unum corpus*, concrefcere dicitur, id est, compositi-  
one accidentali, qvatenus Spiritu colligamur: sicut  
eamdem conjunctionem conjugalem cum hoc myste-  
rio comparat Apostolus *Eph. 5. v. 31. seq.*

§. VI. Ratione modi uniendi *prima* differentia  
est qvam maximè Essentialem dixeris, qvā altera qvæ  
in personā Christi est, communicationem hypostaseos  
ponit, altera, qvæ ad fideles pertinet, approxima-  
tionem tantum substantialem atqve gratiosam, adeoq;  
non nisi parastatica est. Atqve ita generica notio u-  
nioni utriqve eadem quidem est (generis non synony-  
mici sed communis *ἁπλῆς ἐν*, ut Aristoteli vocatur,)   
specifica verò maximè diversa. Qvod apprimè obser-  
vare debent qui in his mysteriis rectè versari cupiunt.  
Patet enim hinc qvare *Bergius in Analys. controuv. de  
pers. Christi* aliqve *Calviniani* veritati non satis faciant,  
cū communicationem hypostaseos admittunt qvi-  
dem, attamen per ipsam unionem definiunt tanqvām  
per terminum synonymum, quandoquidem ita nil ma-  
gis in specie agnoscunt qvām est in Genere, specificam-  
qve unionis mysticæ & personalis differentiam re ve-  
rā eludunt. *Conf. Calovius Exam. doct. Reform. h. art.  
p. 151.* *Secunda* differentia est ratione *ἁπλῆς ἐν*, qvòd  
personalis unio omnino adæqvata sit atqve mutua, my-  
stica verò inadæqvata suisqve certis limitibus circum-  
scripta, Sunt quidem qui *ἁπλῆς ἐν* naturarum in  
Christo mutuam esse negant, qvatenus utrinqve activa  
non est, *vid. Danbæuerus part. 2. Hodom. Calv. p. 338*  
verum ex receptiore Theologorum sententiā mutuam  
illam

C 2



illam agnoscere èò minùs dubitamus, quò magis hác  
voce Nostrates se quondam à Calvinianis distinguere  
vulnerunt, *conf. B. Dn. D. Varenius Diss. de Deo in carne  
manifestato part. 4. axiom. 7.* quandoquidem non ratione  
activitatis sed adæqvationis, non ratione principii, sed  
statùs & relationis mutuam esse intelligimus, ita ut ne-  
que caro extra *ὁ ἄσῶν*, neque *ὁ ἄσῶν* extra carnem,  
suam ullibi existat. Mysticæ verò unionis planè alia,  
ratio est, ubi Deus quidem fidelibus, quacunque per-  
gunt, præsens est *Esaï. 43. v. 2.* non verò fideles ubique  
Deo, neque tota plenitudo Deitatis habitat in nobis,  
sicut eadem habitat in Christo *Colos. 2. v. 9.* Tertia  
differentia est ratione mobilitatis graduum, quòd un-  
io personalis non recipiat magis & minus, mystica  
verò recipiat. Nam & perpetuitas unionis personalis  
augmentis atque decrementis omnibus repugnat, dum  
neque remittit unquam neque adstringi novis vincu-  
li viribus cupit, & pariter adæqvatio ejus eandem con-  
stantiam infert. Quia enim quàm fieri potest arctis-  
simè tota Deitas Christi suæ se humanæ naturæ com-  
municat intimâ atque mutuâ perichoresi, fieri nequit ut  
augeatur; quia etiam ad unionem verè personalem  
hic arctus naturarum complexus requiritur, sine  
quo illa salva esse non potest, sequitur etiam quòd  
imminutionem æq; minus patiat. At verò unio mysti-  
ca mobilis est & limitata, quæ in nobis nutritur verbo  
divino & sacramentorum perceptione, ut suprà moni-  
tum, negligentia verò & securitate nostrâ infirmatur  
*Eph. 4. v. 30. conf. 2. Cor. 6. v. 14. 15. 17.* unde fit ut modò  
laxior sit, modò arctior, modò charismatibus excellenti-  
oribus pluribusque, modò debilioribus atque pau-  
ciori-



cioribus ornata, *vid. Eph. 4. v. 15.* Præcipuum autem augmentum ejus unionis bono cum Deo habebitur in statu gloriæ posthanc vitam, in cujus spem nunc erecti sumus, *Job. 17. v. 24. 2. Cor. 3. v. 18.*

§. VII. Ratione Effectus denique triplex itidem differentia nobis panditur; *Prima* circa explicationem propositionum communicatarum, quæ in unione personali sensu proprio accipiuntur, vi perichoresis naturarum, in mysticâ verò metonymico & causali, ut docet *Hülsemann. suppl. Brev. cap. 14. §. 3.* atque ita longè ignobiliore sensu hic usurpantur, quàm illic. Attribuit sibi quidem Christus quæ patimur atque agimus, nosque perficit ut sanctè vivere possimus, sed ita tamen ut figuram admittat oratio, neque parè ἀνεβεία resolvetur in identitatem personæ, atque illa quæ unionis personalis effectum exprimit. Quod apprimè notandum in examine omnium istarum phrasium, quæ juxta triplex communicationis idiomatum genus capite superiore à nobis collectæ sunt. *Secundam* differentiam circa communicationem ipsam deprehendimus, quæ in mysticâ unione suâ mensurâ suisque terminis circumscripta est, neque, ut in personali fit, ad omnia omninò attributa ipsasque ἐξοχὰς divinas ullâ ratione extenditur. Deus Filio dat Spiritum non ad mensuram *Job. 3. v. 34.* nobis verò ille ad determinatos tantum effectus concessus est quasi usuariis quibusdam, ultra quos de communicatione divinâ gloriari non debemus, & sic ἐκ τῆς κοινῆς Deo nobis dicitur dedisse, partitivâ phrasi i. *Job. 4. v. 13.* & δωρεῆς τῆς κοινῆς effudisse *Act. 2. v. 17. seq.* ut omnem ejus plenitudinem nos non cepisse exinde doceamur, Quod satis etiam ipsa



experientia cuique testabitur, quam immensum absit  
 ut de eâ communicatione secum factâ gloriari possit,  
 quæ in humanam Christi naturam infinitâ omni copiâ  
 suâ redundavit. *Tertiam* differentiam in ordine salutis  
 nostræ & proximè proprio qui ad nos pervenit unio-  
 nis fructu invenimus. Unio personalis basis est omnis  
 meriti omnisque spei & salutis nostræ, mystica exinde  
 pendet, ut peculiare acquisitum beneficium, *Gal. 4.*  
*v. 4. seq.* Personalis procurat nostri justificationem *Rom.*  
*1. v. 3. seq. Job. 3. v. 16.* mystica justificatione ipsâ est  
 posterior, quia & adoptione *Gal. 4. v. 6.* & fide *Eph. 1.*  
*v. 13. conf. 2. Cor. 1. v. 21. seq.* Effectus unionis. perso-  
 nalis remotior est sanctitatis studium, mysticæ verò  
 proximus, cum hinc quidem immediatè, istinc verò  
 non nisi mediante satisfactione, vocatione, conver-  
 sione, justificatione, sancti animi morus in homine  
 excitentur. *Rom. 8. v. 10. 11. 14. Job. 15. v. 4. 5.* Quod  
 idem & de fruitione cœlestis bonitatis atque solatii in  
 omnibus adversis, sanctorumque inter se combinatio-  
 ne in vinculo charitatis dicendum est. *vid. Esai. 57.*  
*v. 15. 1. Cor. 2. v. 12. 1. Job. 4. v. 4. Job. 17. v. 21. Eph. 4.*  
*v. 15. seq.*

### *Sectio III. examinans Antithesin.*

#### S. I.

**M**ultiplicem hanc utriusque unionis differentiam,  
 quam latè hætenus asseruimus, contrariis opinio-  
 nibus dissidentium vel tolli penitus vel turbari variè,  
 norunt qui ad Theologiam polemicam vel leviter ani-  
 mum applicarunt. Vix enim exortæ sunt sive de  
 personâ Christi, sive de nostrâ cum ipso conjunctione  
 hæreses atque controversiæ ullæ, quæ non in hos quos  
 posu-



posuimus limites impegierat, & illorum caput, quæ eo nomine nobis recensita sunt, aliquod evellant. Verum ne ultra modum hæc nobis excrescat dissertatio, & à scopo suo abducatur, compendio quodam uti certum est, illasque opiniones quæ vel nimis obliquè thesin nostram feriunt, vel passim discussæ exstant, quàm paucissimis dimittere, apud eas, quæ à paucis retrò annis commendari cœperunt, & magis directè confusionem illam, quàm cavere volumus, introducunt, paulò diutius substituri.

§. II. Primum itaque quæ cum Photinianis & Judæis unionem personalem planè tollunt, Christumque pro puro homine agnoscunt, differentiam etiam unionis hujus & mysticæ nullam omnino agnoscere, possunt. Socinus quidem singularem quandam Christi supra alios homines prærogativam & extraordinariam cum Deo familiaritatem concedit; sed illa si quam unionem mysticam diceret, quam ipse tamen nullam, nisi moralem agnoscit, graduum tantum aliquam differentiam inveherent, qualem pro conditione personarum in illâ dari supra agnovimus, quæ speciem vel ex ipsius Socini judicio nullatenus immutaret. Pari ratione cum Saturninus, Basilides, Cerdon, Marcion &c. Christum non verum corpus humanum sed phantasma quoddam induisse, carnemque humanam tantum simulasse nugati sunt, si veteribus hæresium enumeratoribus, Irenæo, Epiphanio, Augustino & Philastrio credimus, eo ipso pariter unionem personalem omnem, necessario negarunt. Apud quos igitur de utriusque unionis differentiâ frustra omnino quæreretur.

§. III. Deinde Noëtus & quicumque cum ipso  
quom-



quondam personas S. Trinitatis confuderunt, consequenter & differentiam illam utriusque unionis everterunt, quam respectu Extremorum primam fecimus, nec quod ipse Pater carnem assumeret, idemque solus in nobis habitet, potuerunt non credere, quemadmodum eundem passum esse pronuntiarunt, teste Epiphonio in Panar. her. 37. inde Patripassiani Augustino & Philastrio dicti. Reliquæ tamen omnes differentia quas suis locis atque classibus distinximus, per hanc hypothesein salvæ esse possunt. Ast Apollinaristæ, qui teste Socrate lib. 2. cap. 46. mentem humanam in Christo nullam agnoverunt, sed ejus locum ipsum Θεοῦ Deitate suâ adimplere dixerunt, atque ita ex unione personali essentialem formarunt, propterea etiam hujus & mysticæ unionis necessariò alios limites, aliasque quasdam differentias ponere debuerunt. Nempe luxando imprimis superius circa extrema membrum tertium, ne natura humana integra, sed corpus tantum sentiens ad unionem concurrat: circa unionem itidem tertium, siquidem morte soluta mens à corpore est, & qui pro mente erat ὁ Θεός, ut sic unio personalis evanuerit, cum resurrectione renovata: & termini unicum differentia membrum, cum unum jam essentialia, non personale exinde promanet. Quorum vestigia (si quid reor) novissimè premere, atque ita Arianissimum palliare velle videntur Henricus Morus & Christophorus Sandius, cum Origenianum errorem de animarum præexistentiâ alter ut probabilem in mysterio pietatis lib. 1. cap. 8. alter ut certam peculiari dissertatione defendit. Ita enim quicquid de æternitate Filii dicitur in scripturis, levi inflexione in animam humanam derivatur,



rivatur, quæ & antè Abrahamum, & antè conditum mundum fuerit, pariqve lege in corpus infusa quondam sit, atqve omnes omnino homines nascuntur, i. e. essentiali non mysteriosâ aliâ personali unione. Quamquam *Morus*, cui corpus ad essentiam hominis non pertinet, *lib. 6. cap. 4.* inter animam & corpus fortè non nisi accidentalem unionem agnoscit, atqve ita Nestorianum simile, quod *lib. 9. cap. 2. §. 6.* occurrit, salvâ hâc comparatione unionis hypostaticæ & naturalis satis non quidem veritati, suis tamen principiis convenienter tuetur.

§. IV. Nostro & superiore seculo confusæ unionis personalis atqve parastaticæ præcipuè postulatæ sunt à Nostratibus Calviniani, & quatenus cum ipsis ὁμοῦσι sunt Pontificii, eò quòd in personâ Christi realem communicationem hypostaseos atqve idiomatum impugnent, neqve naturarum ἁπλοῦς rectè agnoscant. *Sustentatio* enim personalis, quam *communicationi* illi substituunt, jejunè nimis & ambiguè dicitur, quippe quæ crassis illorum similibus, quæ vulgò afferunt, nimis aptè responder, ut & in vestem Regiam, & larvam assumtam, & quodvis corpus symbolicum apparentibus quondam Angelis parastaticè & accidentaliter unitum satis conveniat. Sic etiam *Extrâ excessus* in quò sibi magnò opere placent, æquè inadæquatam suisqve terminis circumscriptam reddit unionem personalem atqve mysticam, ita ut illorum explicatio alteram ab alterâ parùm distinguat, & vix ullam nisi graduum differentiam utrinque relinqvat. Magisque coalescet hæc affinitas, si aliæ illorum hypotheses, hûc advocentur, quibus plures per singulas classes

D

nobis



227  
In nobis allata distinctiones pereunt, & utriusque mysterii conditio sibi variè exæqvatur. Scimus Adversarios hypostaticæ unionis tamen videri velle religiosissimos assertores, nihilque magis quàm eas consequentias dedignari, quibus ipsos personam dissolvere, aut nos Christo æquiparare concludatur; sed non effugit culpam conclusionis, qui fundamentum ejus ponit, neque bonam fidem servare potest, qui sapius licet admonitus, eadem tamen principia constanter servat, atque pro veritate venditat, unde mendacium provenit, vid. 1. *Joh. 2. v. 21.* Scimus etiam in hypothesei adversariâ quasdam inter utramque unionem differentias relinqui intactas, ut ratione Extremorum, præter secundam reliquas omnes, ratione Unibilitatis unicam, & ratione Effectûs ultimam; sed illæ extræffentiales differentiæ sunt, quæ unionum naturas intimius non distinguunt, cum interim in unitione, termino unionis & modo uniendi, proximisque internis effectis mera sit confusio. Quod brevi inductione de iis, de quibus adhuc dubium esse poterat, demonstrabimus. Quippe in unitione, justificatio activa ante hominem natum apud Calvinianos facta, sanctitasque liberorum, quos Parentes fideles suscipiunt, inde à primâ conceptione connata, procul omni dubio reddet actum productionis nostri atque unionis mysticæ perinde simultaneum, ut in unione personali factum est. Eadem hypotheses uti fundamentum non leve sunt negatæ omnis veræ virtutis in medijs salutis apud hos adversarios, ut in metonymiam signi resolvantur omnes phrasæ sacrae Scripturæ, quæ effectum aliquem illis adscribunt, ita & differentiam, quæ ratione Medio-  
rum



rum inter utramque unionem est, non leviter infringunt. Iterabilitas autem unionis mystica per inamissibilem gratiam tollitur, cum argumentis ab immutabilitate Dei divinæque amicitiae naturam petitis homo fidelis Deo æquè stabili & perpetuo vinculo asseritur, atque ipsa humana Christi naturam. Terminum unionis etsi utrinque verbis distinguunt, allocosi tamen duplici mox ita confundunt, ut quid pro distinctione relinquatur non amplius pateat. Nam quod persona, quæ habet humanam naturam sibi junctam, sit Deus (quæ ultima propositionum personalium apud eos resolutio est) etiam in unione mysticâ verum est. Ratione modi unendi, quæ supra de sustentatione personali & perichorese monuimus, sufficiant. Mobilitas graduum verò necessariò in personali unione non minùs statuitur quàm in mysticâ, cum *αεχώρησις* tollitur, nec nisi finita dona in humanam Christi naturam collata agnoscuntur, quæ uti creverunt, creverit etiam vinculum unionis personalis necesse est, maximumque momentum gradatio illa hæc fuerit, cum à statu exinanitionis ad exaltationem perveniretur. Tandem ratione Effectus realem communicationem idiomatum, eorumque verè divinorum, abis in personam Christi negari, in propatulo est. Pontificii quidem circa unionem non perinde peccant ut Calviniani, cum antecedentem justificationem activam & sanctitatem conatam non agnoscant, neque mediorem virtutem, quibus unio mystica comparatur, penitus enervent, gratiam etiam amitti & iterari fateantur; catenus tamen illorum quidam hæc peccant, quatenus pro mediis utrinque interveniens meritum comminiscuntur,

Dz

ut non



ut non tantum homo fidelis sibi vel primam vel secundam cerè gratiã sive de congruo sive de condigno promereatur ( qui notus illorum Pelagianismus est , pro scholarum libertate vel subtilior vel crassior ) sed & Christus ipse sibi unionem personalem promeruerit, & ipsi beata virgo: quales opiniones ex *Tanneri T. 4. Theol. Scholast.* citat *Dorscheus Pentad. Dissertat. 12. § 66.* In reliquis autem omnibus verè *ἰσόψυχοι* Calvinianis sunt, ideoq; pari censurã dimittendi.

§. V. Quantumcunq; autem ejusmodi hypothesibus differentia illi, quam tuemur, detractum esse deprehendimus, modestior tamen paulò omnis illa confusio videri poterat, nimisq; obliquè sub Scholasticis terminis latitare, quàm ut imperitorum fidem perturbet. Apertio rem viam redigendi unionem personalem ad ordinem mysticã invenit Cartesianismus, qui utriusq; sectæ scholis se ab aliquot annis jam insinuavit, sed apud Calvinianos feliciore progressu, apud quos parùm abfuit nuper, quin penitus triumpharet. *Christophorus Wittichius Theol. Pacif. § 226. & 229.* qui primus ferè apud Calvinianos magno cum studio Philosophiam Cartesii ad Theologica dogmata traduxit, exinde quòd substantiam nihil positivè addere substantiæ singulari deprehendat, concludit, neq; sustentatione personali opus esse ad humanam naturam Christo asserendam, sed sufficere generalis providentiæ conservationem divinam, per quam ut omnes res in eò quò sunt statu, ita & natura Christi humana in conjunctione cum *ἰσὺ ἁγῶ* permaneat. Interim qualis illa sit unio in quã conservatur, exprimere se posse negat, sed ejus modum ut eminentissimum ita nobis perfectè ineffabilem esse profiteretur,



ratur. Sed quod ille non potuit, alii tamen (ut est eu-  
 phrasticus) progressio) accuratius in Philosophi Præceptoris  
 sui principia intuiti felicius invenire atque modum il-  
 lum effari conati sunt. Nempe *Franciscus Burmannus*,  
*Ultrajectinus nuperè Professor lib. 5. Syntagm. Theol. cap.*  
*8. §. 14. communicantur*, inquit, *duæ substantiæ atq; coale-*  
*scunt in unam personam, ubi ita conjunguntur, ut actiones*  
*& passiones utriusq; toti composito communi nomine appel-*  
*lato tribuantur. Per quod nihil quidem positivè illis sub-*  
*stantiis superadditur, sed tantùm relatio atq; inde denomi-*  
*natio aliqua per ordinationem seu divinam seu humanam.*  
 Mox autem *cap. 9.* eam ab operatione divinæ naturæ  
 per humanam tanquàm per instrumentum describit,  
 atq; cum nubè & voce aëreâ, quæ præsentia divinæ  
 quondam symbola fuere, comparat. Quæ eadem etiam  
 descriptio est *Thomæ Bonartii Nordtani Angli* (uti se ap-  
 pellat *Scriptor, nisi quod Cartesianus, cetera ut vi-*  
*detur Pontificius*) *in Concordiâ scientiæ cum fide lib. 4.*  
*pag. 223. seqq.* ut mirer *Mastrichtum in Gangrena cap. 32.*  
*§. 21.* scripsisse, quod istam novitatem non expressè pro-  
 fiteantur aut profiteri ausint viri. Denique personatus  
 quidam *Liberius de S. Amore*, *Arminianus* fortè vel  
*Scepticus, religione*, itidem tamen *Cartesii principiiis*  
*imbutus in Epist. Theol. unionis hypostaticæ modum,*  
 prout audacem *Philosophum* decet, *mathematicè se*  
*demonstraturum promittit, & proinde pag. 6. Ep. 1.*  
*Postulatum VII. tale proponit: Duplicè tantùm modo*  
*Spiritûs possunt inter se personaliter uniri, vel si omnes su-*  
*as cogitationes sibi invicem manifestas faciant, adeò ut al-*  
*ter alterius sequatur determinationes, vel si inter eos con-*  
*veniat unicum totum constituere, & velint sibi invicem u-*  
D 3
riusq;



119  
utriusq; proprietates, actiones & passiones tribui. Hinc  
pag. 9. Propositione IV. ita pergit: Deus non potest aliter  
uniri cum Spiritu creato quàm consensu unicum totum com-  
ponendi cum eo, adeò ut utriusq; proprietates & actiones &  
creaturæ passiones toti composito tribui possint. En pro-  
gressum demonstrationis, & Philosophiæ Cartesianæ  
fructum! Quod relationem vocat Burmannus, con-  
sensum appellat Liberius, quod operationem & coope-  
rationem instrumentalem Burmannus & Bonartes, des-  
terminationem & sequelam Liberius, in re ipsâ quan-  
tum intelligo, parùm discordes. Demonstratio e-  
nim Liberii tam apertè ex principiis Cartesianis de-  
sumta est, ut illam in dubium vocare nequeant socii di-  
scipuli, ceu eandem illis jam ante Liberium, hostis licet  
ejus philosophiæ, Maffrichtius l. c. quodam modo sup-  
peditavit. Ita enim Cartesius distinguit mentem à cor-  
pore princip. 1. Art. 8. ut nihil in illâ agnoscat nisi so-  
lam cogitationem, id est, ut illam totam omnemq; na-  
turam & essentiam animæ in merâ cogitatione collo-  
cet; sicut uberius verba Philosophi sui exponit Wittichius  
Theol. pacif. §. 120, neque illam tantum mentis  
humanæ, sed omnis sive angelicæ sive divinæ voluit  
esse definitionem, ut iterum testatur Wittichius §. 122.  
neque si substantiam cogitantem dixeris potentiam tan-  
tum cogitandi sed actualem cogitationem intellectam  
velit §. 121. idque ita ut non deprecetur ibidem quo mi-  
nùs Deus formaliter describeretur per actionem & voli-  
tionem, in quam nempe omnis operatio mentis &  
præter perceptionem omnis cogitatio resolvatur. Porro  
cum in cogitatione nihil inveniret Cartesius quod ex-  
tensionē implicaret, ullamve relationem ad corpus aut  
deter-



determinatōnem loci vel ubi, ut Philosophis dici so-  
 let, ut quæ corporum tantum sit affectio, promptam sup-  
 peditavit illationem, quod nulla loci vel ubi diffe-  
 rentia in mentes propriè cadat, illæq; re verâ nusquam  
 sint, nisi quatenus extra se operantur *vid. §. 153. & 219.*  
 & sic neque Deus in corpore humano *vid. §. 216.* De-  
 niq; cum Spiritus seu mens non est nisi cogitatio, uti-  
 que neque mens ad mentem, neque Deus ad animam  
 humanam aliter quam cogitatione seu volitione & con-  
 sensu referri poterit. Ita *relatio* Burmanniana ipsissi-  
 mus est *consensus* Liberii & *cooperatio instrumentalis*  
 ipsissimum obsequium voluntatis, alterius *determina-*  
*tionem sequentis*, quâ anima humana *ἡ ψυχή*, & conse-  
 quenter corpus etiam humanum, personaliter unia-  
 tur. Neque ex principiis Cartesianis alia explicatio flu-  
 ere potest. Quamvis autem Liberius in Postulato il-  
 lo VII. consensum uniendo & attribuendi sibi propria  
 à manifestatione & determinatione mutuâ cogi-  
 tationum distinguat, & deinde consensum illum tan-  
 tum assumat, quo unionem DEI cum mente hu-  
 manâ fieri posse atq; in personâ Christi factam esse  
 docet, quâ tatione in personâ Christi non nisi consen-  
 sum interpretativum singularum cogitationum expa-  
 cto partium unientium generali requirit, omnem au-  
 tem veram cooperationem instrumentalem, quæ non  
 nisi in vero & formali consensu locum habere pote-  
 rit, excludere videtur; non magnopere tamen pro-  
 pterea dissentit à Burmanno & Bonarte, qui cooperatio-  
 nem illam diserte laudant. Neque enim ille humanam  
 naturam Christi, vel omnisciam, vel omnipræsentem  
 omnipotentemve credunt, ut ad quascunq; actiones &  
 cogita-



Cogitationes divinae naturae revera concurrat, sed partialem tantum cooperationem admittunt; quam nec Liberius negaverit, opinor, ut ut mutuum omnium cogitationum conformitatem excludat. Si jam queras quomodo in hac explicatione unionis personalis eadem vel a mystica differat vel a quavis alia, videris ut aqua haereat. Bonartes nodum, quem solvere non potuit, scidit, cum ut cooperatio in personam Christi aliquid praecipui esset, universalem Dei cooperationem, etsi parum ex principiis Cartesianis, plane negavit, non minus negata sic unione etiam mystica. Liberius vero paulo cautior, & ab unione civili, quae est inter socios & foederatos, & a Nestorianismo suam explicationem distinguere laborat pag. 11. seqq. sub alterutro forte horum & unionem mysticam complexus. A civili quidem societate ita, quod haec particularem tantum communionem, illa personalis vero universalem involvat omnium dictorum, factorum, passionum etiam praeteritorum; a Nestorio vero, quod hic curam tantum circa Christum singularem concesserit, qui nil nisi inspirante Deo egerit, non vero consensum constituendi unum totum.

§. VI. Ut insignis haec novae demonstrationis audacia paucis revellatur, primum principia ipsa quibus innititur ad breve examen revocare; opus erit, deinde confusionem foedam, quam clara & distincta Cartesiani perceptio hic peperit, ob oculos ponemus. *Πρώτη*  
*ἔνδεσσο* Cartesianorum est, quod suum intellectum statuunt mensuram rerum, quaeque ipsi in rebus, quarum speculatione occupantur, non inveniunt, neque adesse concludant. Haec illa obtinuit apud alios Philosophos



losophos modestia, ut multa se ignorare, multa invenire non posse faterentur: hi verò ingenium suum rerumque naturam & ipsam Dei gloriam essentialem, communi termino copulantes, nihil esse posse opinantur, nisi quod ipsi quare sit intelligant. Hinc mentem humanam, hinc Deum ipsum solâ cogitatione definiunt, quòd nil ultrâ norint quo ejus essentia exprimitur. At miseri mortales intelligamus, quòd Deus habitet lucem inaccessam 1. Tim. 6. v. 19. neque metiri nos illam abyssum aut definire conceptibus nostris possimus, si maximè, quod longum abest, in omnium rerum creaturarum cognitionem penetrassemus. Deinde non animadvertunt Cartesiani, quantopere hæc regulâ suâ claras & distinctas notiones suas, quas seclantur, evertant, dum abstracta concretis miscent, cogitantemque & cogitationem perinde habent. Naturalis sanè ratio nobis priorem dedit suppositi quàm actionis aut attributi notionem, jubetque perpetuò distingvere id quod cogitat vel agit, à cogitatione vel actione ipsâ, unde regula est in Scholis trita: *actiones sunt suppositorum*. Sit ergò mens, sit & Deus substantia cogitans, plus utique tamen erit quam nuda cogitatio. Wittichius §. 122. *Theol. Pacif.* hoc telum evitaturus, concreta non esse nisi abstracta modis suis involuta, inquit; quorum quidem verborum sensum ullum sanum non invenio, neque Cartesianus ullus clarâ & distinctâ perceptionem habere poterit. Modus enim cogitatione est posterior, eique inhæret, unde aliter atque aliter comparata redditur, non verò eandem sustinet instar subjecti, aut ex cogitatione facit cogitantem. Forma subjecti modus esse, potest, non subjectum potest esse modus formæ.



In Deo quidem formam & subjectum non perinde distingvimus ut in rebus creatis, eodem tamen ordine conceptus nostros inadæquatos formamus. Sed appellent sanè quocunqve vocabulo, quod nos subjectum & substantiam vocamus, si tamen, illi cogitatio involuta est, utiqve tam in Deo quàm in mente humanâ plus quàm solam cogitationem agnoscere oportet. Tandem distinctio cogitationis ab extensione neqve cogitans ab extenso distinguere potuit, multò minùs omnem habitudinem alterius ad alterum tollere. Formas disparatas in eodem subjecto esse posse, fundamentum est omnium propositionum paronymicarum. Sic pondus & color, numerus & frigus se invicem nullâ ratione inferunt, ponderosum tamen potest colorosum, & numeratum frigidum esse. Par est ratio relationis ad locum. Si cogitatio non est dextra vel sinistra, cogitans tamen erit; quin & cogitatio Cartesio procul dubio in cerebro facta est, non in calcaneo. Nulla igitur ratio est, quare ens cogitans se non aliter quàm cogitatione alteri jungere posse credatur. Imò posse etiam aliter jungi, vel ex ipsâ unione naturali animæ & corporis doceri debebamus; Si enim vinculum illud in solâ operatione ponitur, sequitur toties etiam Angelum & ipsum Deum cum re quavis in quam operatur pari vinculo concrefcere; si in perceptione motuum corporis illud quæras, neqve sic Deum ab eâdem unione absolves, quamvis maximè Angelum. Quin & anima nostra cum in alieno corpore motus observat, an etiam plura corpora induit? <sup>ad omnia</sup> Exponant quæso qui nil nisi cogitationem in anima agnoscunt, quâ sola cogitatio operari in corpus possit aut effectum producere



ducere? Sanè enim videmus nos cogitationè neque le-  
vissimam stupam movere posse, quomodo ergò illa  
per se sola sufficiet ad integrum corpus movendum? Ne-  
que est quòd hic ad opem Dei recurrant, res positâ vo-  
luntate nostrâ moventis, ita enim anima re verâ nihil  
operatur extra se, & sic per principia Cartesii neque cor-  
pori unitur. Agnoscant igitur virtutem mentis ejus-  
que essentiam latius extendi, quàm ad id quod cogi-  
tationis notioni includitur.

§. VII. Hâc ratione cum pereant omnia fulcra,  
quibus postulata & propositiones magnificæ hujus de-  
monstrationis innituntur, proximum est ut & ipsam  
jam emortuam efferamus. Antequàm tamen abjici-  
atur, quæ absurda explicatio illa inferat, & quæ mysteriũ  
cui illustrando data est evertat, expendere oportet.  
Differentiam unionis personalis & mysticæ docere sa-  
tagimus. At quid majus ad confusionem dici poterat,  
quàm unionem personalem consensu absolvi, & coo-  
peratione & attributione? quæ omnia & in mysticâ uni-  
one insunt. Sanè qui uno spiritu colligamur cū Christo,  
consensu colligamur, qui virtute Spiritus Christi indu-  
imur, ipsi cooperamur, quæque agimus Christus sibi at-  
tribuit. Sed universalis tamen non est illa attributio, in-  
quies Liberius, neque mutua, ut quicquid nos agimus  
vel patimur, Christo adscribatur, omnesque etiam præ-  
teritæ actiones Christi, nobis. Sic ita; ejusdem ta-  
men generis utraque est; suis tantùm gradibus distin-  
cta, & quibus in rebus consensus ac communio est, tam  
verè Petrus erit Christus, quàm Jesus Nazarenus Christus  
est. Imò verò ex nostrâ sententiâ multò major atque ar-  
ctior est unio mystica, quàm ex Cartesianâ sententiâ  
E<sub>2</sub> est pere-



sonalis. Illam enim nos vinculo quodam reali & ipsius  
essentiae ad essentiam propiore praesentiam definimus, hanc  
illi non nisi morali & interpretativo colligata agnoscunt,  
qualis collegii cujusdam est, aut Regum in foedore coeuntium.  
Qui jam erit unus Christus, ubi re ipsa duo sunt divi-  
sim viventes, foedere tantum & fictione quodam juris co-  
haerentes? Siccine ergo Dominus se dicere poterat fuisse  
ante Abrahamum, qui non fuerat? & ab aliena existen-  
tia se laudare, cum ipsi quaestio aetatis moveretur *Joh.*  
*8. v. 58.* Qui perinde ut liberi carnis particeps factus  
fuit *Heb. 2. v. 14.* utique reapse illam induit, non im-  
putative. Dicitur Christus de coelo descendisse *Eph. 4.*  
*v. 10.* a Patre egressus in mundum venisse *Joh. 16. v. 28.*  
de quo id verum erat in hac explicatione? Jesu an homi-  
ne an filio Dei? & cui propter factum consensum tan-  
tum adscriptum? Certè nec homo in caelo antea fu-  
erat, nec Filius Dei in terram pervenit, si hos docto-  
res audimus: Ergo neque per consensum mutuae im-  
putationis praedicatum hoc verificari potest. Mirum  
non est hujus opiniones patronum se distinguere à  
Nestorio, qui nunquam tantam dementiam verborum  
insanivit; sed illud mirum est, quod se meliorem Ne-  
storio aestimet, qui de infracta unione personali cum  
quovis haeretico contendere poterat. Interim quam  
propudioso oneretur Nestorius mendacio, cum, ut apolo-  
gia colorem inveniat, fingitur Jesum non nisi pro viro  
*θεομορφος* & pio habuisse, qui nil egerit nisi quod Deus  
inspiravit, nolumus prolixè discutere. Tota ecclesia id re-  
ctius novit, & omnia antiquitatis testimonia contrarium  
testantur. vid. de ejus sententiam tantum *Antopologia Wit-*  
*teberg. contra Syncret. Cassell. p. 51. seqq.* Id tantum  
scire



fcire velim, quid inter hominem ita *θεοῦ & εἰς* & cōn-  
 sensu generali cum Filio Dei unitum intersit, ut sic se  
 satis Liberius noster ab eo quem fingit Nestorianismo  
 liberet. Crediderim sanè *θεοῦ & εἰς* perpetua augustius  
 esse vinculum quàm pacti semel consensùs, qui tantum  
 realis communionis non infert quantum illa. De alterâ  
 parte Postulati Liberiani non est quidem quòd multum  
 sollicitissimus, quâ personalis unio spirituum fieri posse  
 dicitur, *si omnes suas cogitationes sibi invicem manifestas  
 reddant, adeò ut alter alterius sequatur determinationes,*  
 quia illam in personâ Christi non urget. Interim ta-  
 men unusquisque videt, neque manifestationem co-  
 gitationum, neque obsequium determinantis volun-  
 tatis ad unitatem personæ quicquam facere, alioquin  
 quoties sunt homines concordēs, ex duobus unus con-  
 flaretur. Si in mysticâ unione universalis ejusmodi  
 harmonia fortè non invenitur (quæ tamen per hæresin  
 Calvinianam omnes eventus, actiones, atque cogita-  
 tiones omnium à determinatione divinâ deducentem  
 etiam in ipsis diabolis fuerit) non aberit tamen à statu  
 gloriæ, ut omnes beatos, præcipuè si accedat speculum  
 Gregorianum, ex illâ descriptione vel invito Liberio  
 cum Deo personaliter unitos esse oporteat. Quantum  
 absurdum! Denique cum Bonartes fortè præcipuam ra-  
 tionem unionis personalis in cooperatione positam esse  
 putavit, intererat sanè ejus, ut universalem providen-  
 tiæ cooperationem negaret, facile enim aliàs & in hac  
 hypothesi omnes Deus facti essemus. Veruntamen  
 negatione suâ non tollet scripturas, quæ fatentur *Es.*  
*26. v. 12. quod Deus omnia opera nostra operatus sit nobis,*  
 neq; à foeda confusione factâ se excusabit.



§. VIII. A Cartesianis progredimur ad Quakeros, novum ex Angliâ hominum genus, à triginta fere annis celebre, quorum de Christi humanâ naturâ tam ambigua & jejuna est confessio, ut confusæ novis opinionibus unionis personalis atque mysticæ non injuriâ videantur postulari. Christum in omnibus hominibus esse, qui in hunc mundum nascuntur, ex *Job. 2. v. 9.* contendunt, quem propterea lucis veræ atque internæ nomine subinde prædicant, ad quod qui attendat, virtutem ejus evidentiore in se sentiat. ut citra aliam opem Deum agnoscat, sancteque & piè vivat. Quod præcipuum hujus sectæ dogma est in omnibus libris omnibusque sermonibus publicis inculcatum. Eundem Christum æternum Deum agnoscunt, Patri ita coessentialem, ut vix a Sabellio quicquam dissentiant, *vid. Stephanus Crisp contra Alex. Ross. pag. 17. & Guilielmus Caton defens. Innocent. p. 40.* Fatentur etiam eundem apud Judæos quondam natum, à Spiritu S. conceptum & hominem esse *vid. Georg. Whitehead part. 2. Vind. Angl. Christ. Quac. p. 97.* sed protestantur, se corpus Christinum audere Christum vocare, *Wil. Penn. Quakerism New Nickname p. 158. seq.* neque pati posse ut Christus dicatur carne & ossibus humanis consistere, maluntque substituere phrasas scripturæ, quibus Christus corpus assumpsisse, carnemque & ossa habere ex *Luc. 24. v. 39.* dicitur. Ut autem sub harum phrasium ambignâ explicatione felicius lateant, perpetuo elencho oppositionis utuntur, & adversariorum verba in eum sensum contorquent, quasi illi totum Christum solo corpore humano constare credant, adeo ut J. Faldonis contrariam protestationem pro contradictione adducat *Pennus p. 163.* Sic etiam unionis hypostaticæ termi-



terminum dedignantur tanquam *ἀνεσθη*, cum *ἕμιν* interpretantur de unione *substantiali* qualis sit inter tres testes cœli, *vid. Whiteb. p. 141.* Quantumvis autem dilucidissimè status quæstionis proponatur, ita obscura & involuta est responsio, ut æquè dubius ferè discedas. Interim quid velint, & quò sub Scholasticorum terminorum odio colliment, optimè patebit, si animadvertas primùm, eos cum Socinianis resurrectionem corporum negare, adeoque nec posse aliter quàm corpus homini extræssentiale facere, *vid. Pennus lib. cit. cap. 21.* unde necesse est, ut cum unionis naturalis verâ notionè in personâ Christi pariter etiam negent personalem, quantum ad corpus. Hoc indicat satis apertè analysis locorum, quibus quæ propria corporis sunt de Christo prædicantur, v. g. verborum Petri *Act. 5. v. 30. seq.* quæ ita *ἡμεῖς οὐκ ἐλάτουμεν* idem Pennus pag. 162. *Deus corpus Jesu suscitavit quod crucifixus est, & eum in cuius corpus servivimus exaltavit*, ut crucifixio & suscitatio non fuerit Christi, sed corporis tantùm, exaltatio autem Christi, non corporis. Et visionem Christi Simeoni permissam *Luc. 2. v. 26.* ad oculos mentis quàm corporis trahere mavult *ibid.* Quin & Whiteheadus pag. 139. hanc rationem dat, quare malit dicere Christum habere corpus, quàm corpore constare, *ut appareat distinctio inter Filium Dei ejusque essentiam. & inter carnem quam habet.* De animâ autem Christi altum silent, ut num aliquam in eo humanam agnoscant, aut essentialem fateantur, haud facile dici possit. Interim pessimi ominis est, quòd nomen Filii hominis, quo humana ejus natura arguitur, quamque de animâ humanâ potissimum explicare debuerant Quakeri, fingant sublimiore sentû dici, & significare naturam de cœlo descendentem, juxta *1. Cor. 15. v.*



15. v. 47. Job. 6. v. 50. seq. c. 5. v. 13. & 31. non verò à Ma-  
rià assumptam, vid. Whiteb. pag. 96. Cùm jam quæri-  
tur, quid differat habitatio Christi in nobis & in carne  
ex beatà virgine natà? respondet idem pag. 154. Christum  
manifestatum esse in carne integrè, cum veniret in propria,  
spiritualiter eum manifestari in discipulis suis, qui illum  
receperunt. Quæ iterum sanum sensum habere possunt,  
obscuriora tamen sunt quàm ut nos de sanitate mentis  
illorum certos reddant. Mox autem cùm quæreretur,  
quare non quivis homo, in quo Christus habitat, etiam Chri-  
stus vocari possit, perinde ut Jesus Nazareus? Respondet,  
disparitatem esse (1) in præexistentià ejus divinà antequàm  
corpus illud assumeret, (2) in miraculosà conceptione ejus  
respectu hujus corporis, (3) in unitione quàm oleo lætitiæ fa-  
ctam supra consortes nactus est, (4) in intentione divinà, quæ  
in preparatione ejus corporis nihil de honore & dignitate ve-  
ri Christi voluerit detractum, unde caro ejus velum, & cor-  
pus templum ejus ac forma Salvatoris dicta sit, sancti ve-  
rò membra ejus. Hæc si examinare velimus, tanquam  
mysticæ & personalis unionis veram differentiam ex  
horum hominum mente propositura, primi quidem  
membri sensum nullum invenimus. Quid enim præ-  
existentia Christi ad prærogativam unionis ejus confert  
cum æquè & corpore isto suo & nostro Christus prior  
existit? Secundum membrum in miraculo corpori  
facto acquiescit, nullum naturarum mutuam vinculum  
commendat. Tertium melioris notæ esset, si ortho-  
doxè intellectum, sed ab his hominibus non alium e-  
jus sensum possumus sperare, quàm quòd hæc unctio ad  
externam tantùm miraculorū virtutem pertinuerit, cu-  
jus corpus fuerit causa instrumentalis. Quartum inexter-  
nam



86

nam *quoniam* atque denominationem resolvitur, quod  
Deus illum Jesum majore quam alios honore afficere  
voluerit. Permittimus quidem Quakeris facultatem se  
recte explicandi, sed quantum hactenus colligere possu-  
mus, in eo tantum putant utramque unionem differre,  
quod Deus Jesum Nazarenum pluribus miraculis & ma-  
jore honore ornare voluerit, quam nos, ut inde deno-  
minationem qui revera non erat Christi acceperit,  
quam alii non accepimus. Quae utique sejana sa-  
tis fuerit distinctio, quae Jesu nostri conditionem su-  
pra nostram haud multum extolleret. Fundamenta  
hujus erroris ita sunt levia ut facillime dissentur. Et-  
si enim Christus se distinguit a corpore suo *Joh. 2. v. 19.*  
*Et 21. Heb. 10. v. 5.* non distinguit tamen tanquam a re si-  
bi extraessentiali, sed ut parte quaedam sui, perinde ut  
Paulus *2. Cor. 5. v. 46. Et 8.* Homo enim qui ex terra fa-  
ctus dicitur *Gen. 2. v. 7. Et 3. v. 19.* utriusque quantum ad  
corpus exinde factus est, argumento quod non minus  
corpus sit essentialiter, quam illud melioris sui partis  
habitaculum habet. Et attendere debuissent Quakeri  
ad verba Johannis *cap. 1. v. 14. verbum caro factum est,*  
& quam frustra sibi metuant ab ea phrasi, quae Christus  
carne & ossibus etiam constare dicitur intelligant. Deinde  
quod Filius hominis de coelo venisse dicatur locis  
supra citatis, arguit personae identitatem, non novam  
inducit hominis notionem, & exemplum est *αὐτὸς ὁ ὢν*  
ex personali unionem fluentis. Habemus alia loca, quae  
non nesciunt Quakeri, ubi merè humanae proprietates  
de Filio hominis praedicantur, ubi tanè propter natu-  
ram assumptam eum ita vocari, debent concedere, ut  
*Math. 11. v. 40. Luc. 24. v. 16. Et.* Nihil itaque novo hoc  
commento opus fuit,



hōyp §. IX. Denique Weigeliani unionem mysticam  
cum personali confundere, vel etiam illi præferre, cum  
eam *essentialem* vocant, nota querela est, vid. de iis sal-  
tim *Brochmandus Syst. Theol. L. de Eccl. c. 6. sect. 5.* In hujus  
societatem erroris Pontificii trahere conati sunt Luthe-  
rum nostrum, eò quòd *comment. ad Gal. 2. v. 20.* perso-  
nali propositione uti jubeat, quâ se homo Christum  
vocet, his verbis: *Fides purè est docenda quòd scil. per  
eam sic conglutineris Christo, ut ex te & ipso fiat quasi una  
persona, quæ non possit separari, sed perpetuò adherescat ei,  
ut cum fiduciâ dicere possis, EGO SUM CHRISTUS.* Quæ  
verba cum explicare & defendere allaboraret sermone  
publico typis postea excuto celeberrimus quidam The-  
ologus, & malè intellectus alios offenderet, infelicem  
nactus est hyperaspistem, qui illâ occasione ad conce-  
ptum animo Weigelianismum abuti satagit peculiari  
libello, in quo multum stomachatur, quòd saluberrimæ  
ejusmodi phrasæ & formulæ satanicâ fraude & so-  
cordiâ docentium ab ecclesiâ perierint, quibus majores  
nostri magno cum applausu usi sint: deinde hanc  
nostri cum Christo unionem, quæ unam ex utrâque  
quasi personam reddat, fundamentum esse omnis ju-  
stitiæ & justificationis nostræ contendit, citra quam il-  
la omnis putatitia & vana fuerit. Sed nimis præceps  
illa viri ira fuit, & zelus admodum infructuosus. For-  
mulæ & phrasæ ἀγαθοὶ non semper laudari possunt,  
ubi sensus ad quem exprimendum adhibentur sanus  
est. Multa sæpius in vocibus ambiguitas est, multa  
ἀκυρολογία, quam usus quidem emollit, ubi constans  
est, sed & asperiores reddit, ubi pro studio partium  
vagam & difformem verborum interpretationem expe-



rientia docuit. Et si itaque in viris orthodoxis multa  
 commodè interpretamur atque à calumniâ adversa-  
 riorum vindicamus pro officio charitatis, quæ nil mali  
 suspicatur *1. Cor. 13. v. 5.* non eadem tamen aliis imitan-  
 da proponimus atque commendamus. Sæpius etiam  
 verba avulsa à textu suo scandali plena sunt, pessimique  
 sensûs speciem præ se ferunt, quæ tamen si in verâ sede  
 suâ legantur, ex orationis serie illam determinatio-  
 nem accipiunt, quæ omnem adversam suspensionem  
 facile excludit. Quod præ ceteris in Lutheri scriptis  
 accidit, cujus truncata verba Pontificii sæpe pro calu-  
 mniæ ansâ arripiunt. Sæpe etiam phrasis olim satis  
 orthodoxa & salubris visa, postquam tamen ab hæreticis  
 in perversum sensum rapi cœpit, illisqve facta est fa-  
 miliaris, non absqve injuriâ ab orthodoxis evitatur,  
 quales Arianorum & Pelagianorum formulas ex anti-  
 quioribus Patribus petitas historia ecclesiastica suppedi-  
 tat, hodieqve in Weigelianis atque Arminianis rejici-  
 mus, quæ olim meliore sensu inter orthodoxos satis fu-  
 ere frequentes. Unde multum errant, qui verbo-  
 rum incommodorum postulari solâ majorum aucto-  
 ritate securi esse volunt. Deniq; si pro monito Paulino,  
*2. Tim. 2. v. 14.* nolimus *λογμαχῆν*, æq; cavere oportet  
 verba, quæ aliis periculosa aut plena scandali nobis vi-  
 deantur, ut ut fortè nobis non videantur atque ab aliis  
 æquitatem explicationis desideramus. His itaque de  
 causis rectè & piè fecerunt Theologi, quòd etsi doctri-  
 nam Lutheri piam atque salutarem agnoscunt, ean-  
 demque constantissimè servant, à phrasi tamen contro-  
 versâ & ambigüâ abstinerint, quæ apud ipsum legi-  
 tur, ne aliquam Weigelianæ impietatis speciem im-  
 peri-



peritis præberent. Solent quidem à nonnullis etiam in  
 parastaticâ unione ejusmodi conclusiones colligi, quæ  
 personales propositiones imitantur, v. g. apud Meisne-  
 rum part. 2. Philos. sobr. sect. 2. cap. 2. q. 5. ubi ex appa-  
 ritione jordanicâ talis collectio fit: *Quicquid descendit,*  
*Et quod Johannes vidit, id est Spiritus S. Sed columba*  
*descendit* &c. E. columba est Spiritus S. & ex verbis Evan-  
 gelistæ atque Christi Job. 22. v. 23. *Quod Apostolos attigit est*  
*Spiritus S. Sed flatus Christi eos alligit. E. flatus*  
*Christi est Spiritus S.* ut pariter fortè elicere possis  
 ex Gal. 2. v. 20. *Qui vitam spiritualem vivit in fide est Chri-*  
*stus; Paulus vivit vitam spiritualem in fide, E. Paulus est*  
*Christus* &c. Verùm illationes istæ ut *auxpiscior* examinis  
 nõ sustinent, verbales potius quàm reales, ita cautè omni-  
 no tractandæ sunt, ne confusionem pessimam pari-  
 ant. Neque igitur nos illorum studia laudare possumus  
 qui ejusmodi propositiones in unionem mysticam in-  
 vehere laborant, ut homo se Christum vocet ad instar  
 propositionis personalis. Ad Lutherum autem à  
 Weigelianismo novi hyperaspistæ vindicandum, cum  
 alii id dudum contra Pontificios præstiterint, paucis  
 tantum observamus, quòd non intellexerit in verbis il-  
 lis ipsi tantum de justificatione sermonem esse, & de  
 unione fidei, i. e. morali, quæ identitatem tantùm  
 interpretativam parit, & justificationis nostræ  
 causa est, non de eâ quam nos mysticam hodie  
 vocamus, quæ realis est & justificationem demum  
 sequitur. In verbis Lutheri sequentibus: *Et vicissim*  
*Christus dicit: Ego sum ille peccator, quia adheret mi-*  
*hi* &c. unionem mysticam agnoscimus, quæ ex justifica-  
 tione fluit. Eam sibi mentem esse docet Lutherus *com-*  
*ment, in Job. 14. to. 7. Jen. Germ. fol. 101.* ubi nostri inhabi-  
 tationem



rationem in Christo de justificatione, Christi inhabi-  
 tationem in nobis de renovatione explicat. **E**ins  
 gehet über sich / inquit, das andere unter sich/  
 denn wir müssen zwar in ihm seyn mit allem  
 unserm Wesen/Sünde/ Tod/Schwachheit/  
 und wissen / daß wir für GOTT davon befreyet  
 und erlöset / und selig gesprochen werden /  
 durch diesen Christum da nach gehts wie  
 der von Oben herab / so erzeiget er sich wieder  
 in mir und spricht: Geht hin / predige / trös-  
 ste / täuffe / diene dem Nächsten / sey gehor-  
 sam / geduldig &c. ich will in dir seyn und alles  
 thun &c. Atque ita planissima sunt ejus omnia, nem-  
 pe ita nos oportere per hunc Christum inseri, ut in illo  
 toti acquiescamus, ejusque meritum nobis vindicemus  
 & interpretativè habeamur quasi pro ipso Christo cū ab-  
 solvendi sumus in judicio divino, tanquam qui legi satis  
 fecerimus, id cum factum fuerit, Christus se nobis  
 communicat, nosque sui templum facit atque orga-  
 num ad omnia opera, eoque amore amplectitur, ut  
 ipsemet videri velit esse, in quem beneficia vel injuriæ  
 illæ redundant, quæ nobis fiunt. Qvi sensus uti veris-  
 simus, ita ab omni confusione Weigelianâ alienissimus  
 est.

§. X. Haecenus illorum errores deteximus, qui  
 differentia, quam asserimus, introductâ confusione,  
 derogare v. oluerunt. Paucis nunc etiam de illo quo-  
 rundam studio monere oportet, qui in alteram partem  
 peccant, & differentiam justo latiore faciunt, dum  
 unionem mysticam reali essentia divina ad nos ap-  
 proximatione fieri negant illamque omnem tantum



moralem esse secundum effectus & operationes, contendunt. Nempe cum Deus vi presentiae universalis à nemine nostrum ullà vel minimà distantia absit, in quo vivimus movemur & sumus *Aët. 17. v. 28.* fieri non posse censent, ut alià novà presentiam ad fideles accedat, nisi gratiae & virtutis metonymicà. Hanc sententiam jam rejecerunt Majores nostri *Art. 3. Form; Concord. n. 6.* sub verbis: *quod non Deus ipse, sed dona Dei duntaxat incredulis habitent.* Quia enim errores tantum in ipsà ecclesià nostrà coortas in illà formulà damnant, in quâ extitisse qui omnipresentiam Dei negaverint non legimus, damnatio etiam hæc non articulo de Deo sed de justitià fidei inseritur, atque inhabitatio non generatim omnibus, sed fidelibus tantum vindicatur, utique de speciali quâdam præter universalem presentiam ibi decretum factum esse oportet. Neque patitur emphasis Scripturæ ut aliter statuamus. *Quia filii estis*, inquit Paulus *Gal. 4. v. 6.* *misi Deus Spiritum Filii sui qui clamat Abba*, conf. *Rom 7. v. 15.* *Misi*, inquit, Spiritum qui clamat, ergo non solum clamorem, solam vocis ejus internam excitationem dedit, sed missionem Spiritus ab ejusdem operatione aperte distinxit Apostolus. *Misi* autem illum Spiritum filiis reconciliatis demum, ergo alio modo presentem futurum quàm hactenus per universalem presentiam fuerat. Ita Christus *Job. 14. p. 23.* & se & Patrem venturum ad sui dilectores & habitaturum esse apud eos promittit, quæ utique habitatio & mora peculiaris presentiae substantialis non nudæ operationis vox est. Neque est quod regeant, eum quæ semel essentia suâ præsens est, amplius presentem esse non posse, quandoquidem vel exemplum unionis personarum.



sonalis viros docere poterat, ubi indistantiæ & loci eadem ratio est, vinculi tamen unionis, quo essentia essentia jungitur diversam rationem esse posse. Itaque uti non impedit omnipresens quo minus *in Myo* intimius præsens sit suæ carni quam nobis, ita nec impediet eadem, quò minus nobis fidelibus magis quam aliis essentia suâ præsens sit. Subsistat itaque his, quos S. Scriptura docuit, unio mystica terminis, nequælatius eam divellat à personalis unionis analogiâ, neq; propius ad eam admoveat fides nostra, quam præscripta credendi regula postulat, & rectè utriusque differentia erit observata.

Ille autem qui nos gemino honore dignatus est, ut nobis similis fieret auctor salutis nostræ, & nos sibi quam præsentissimè unitos atque devinctos teneret, excitet etiam animos nostros ad geminas illi gratias habendas geminasq; ex eâ re fructus & hujus & alterius seculi percipiendos largitur. Perfundat mentem sanctissimam præsentis Numinis amore, ne quid nisi quod tanto hospite dignum sit admittamus, tandemque cum hujus cursum vitæ absolverimus, æternâ vultus atque præsentia ejus suavitate, fac-

tiemur

**TANTUM**



(O)



PRÆSES RESPONDENTI  
s.

**Q**ui bene distinguit bene docet  
vetus verbum est & verum  
distingueret & componere artis est  
etiam ipsa unio requirit differentiam  
novit se & novit Deum

qui quid inter utrumque interfit observat  
age nunc

personalem unionem distinguimus  
personam quæ imposta est rectè gerit  
unionem mysticam distinguimus

sanctorum mystes esto

profer mysteria quæ didicisti & sacra profanis non mixta

babelis est confusio

recta verbi sectio presbyterum decet

unionem commendamus

una fides est unus Christus

unum omnes in Christo sumus

attamen & in fide est quod distinguas

& in Christo & in nobis

ubi rectè distinxeris rectè univeris

fiesque familiaris Deo & tibi

docebis hodiè homo homine quid præstet

quid inter gnayum & inertem interfit

laud o studia & conatûs optimos,

perge feliciter

& unione optimâ

scientias scientiis pietatem eruditioni junge

refer spiritum Christi qui nobis datus est

& personam indue boni mystæ

sic BODENII famâ nunciâ

omnis patria personabit

☉(O)☉





















863

sationem in Christo de justificatione,  
tationem in nobis de renovatione  
gehet über sich / inquit, das and  
denn wir müssen zwar in ihm s  
unserm Wesen / Sünde / Tod / S  
und wissen / das wir für GOr d  
und erlöset / und selig gespro  
durch diesen Christum da na  
der von Oben herab / so erzeiget  
in mir und spricht: Gehe hin /  
ste / tauffe / diene dem Nächst  
sam / gedültig &c. ich will in di  
thun &c. Atque ita planissima sunt e  
pe ita nos oportere per hdem Christo  
toti acquiescamus, ejusque meritum n  
& interpretativè habeamur quasi pro ip  
solvendi sumus in judicio divino, tanq  
fecerimus, id cum factum fuerit, C  
communicat, nosqve sui templum  
num ad omnia opera, eoqve amore  
ipsemet videri velit esse, in quem ben  
illa redundant, qvæ nobis fiunt. Q  
simus, ita ab omni confusione Weigel  
est.

§. X. Hactenus illorum error  
differentiæ, quam asseruimus, introdu  
derogare v oluerunt. Paucis nunc e  
rundam studio monere oportet, qui in  
peccant, & differentiam justo latiore  
unionem mysticam reali essentiæ di  
proximatione fieri negant illamqve

F3



habid  
ins  
ich/  
llem  
eit/  
eyt  
en/  
wiea  
eder  
tröz  
hora  
alles  
nem-  
nillo  
emus  
i ab-  
fatis  
nobis  
orga-  
r, ut  
uriaz  
verif-  
imus  
oile  
s, qui  
ne,  
qvo-  
stem  
dum  
s ap-  
tum  
ora